



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Athanasivs Ep. 2. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. ATHANASIVS EP. 2. Maij.

**N**on raro pueritia toti vitæ præluit. Ita ATHANASIVS Alexandriae inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hic alius non nemo suppetias laturus innocentiae, ideoque ATHANASIVM sese assimilans; heus, inquit, egone vitium tibi feci? mox illa: tu verò ipsissimus. Ita cum & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam obrem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sæpè ATHANASIVS totum pænè orbem pererravit. Annos in ci-sternâ quâdam latitavit quinque, indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cum hostis instaret, navim vertit, jamque obvius querenti num ATHANASIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita restâ Alexandriam reversus, in patrio conditorio inter morruos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno CCC. LXXII. nunc inter mortuos iterum vivit.

Ex Baron.

Sicut

*Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplina aliujus exercitatione non laboravit. S. Cypr. de 12. Abul.*

S. ANTONINVS EP. 2. Maij,

ANTONINVS Florentinorum Præsul, ad CHRISTI in cruce imaginem sublimis rapus, mellicissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. Atque ex his illum uberibus hausisse amorem crede, quem in omnes postea pauperes dispensavit, tum ratus præclare se rem administrasse domesticam, si dominec supplex, nec penus esset. Viderat ædibus Calites insidere; ingressus cum duas ingenuas, sed pauperes virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verum cum illæ se luxui deinceps dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium iussit. Illud jucundum dictu. Rusticellus canistrum pomis onustum Divo donarat. Hic gratias habuit. At cum ille referri sibi maluisset, ANTONINVS pomis in unam lancem, solennibus uerò illis & in chartâ descriptis verbis, *Deo gratias*, in alteram injectis, rem examini permisit; & ecce duo verba pondere suo omnia poma superarunt: ut planè decipi egenos à divitibus videamus, dum hi pro tam exigua stipe tam multum accipiunt. Obiit porro an. M. CCCC. LIX. Egrotantis verba illa feruntur: *Serviro DEO regnare est.* & illa morientis: *Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.* Imò vero ANTONINE, egregiè scivisti: Virgo moriens eã